

mittuntur species in sensus interioribus, et in phantasia firmantur idola, et in intellectu conceptus, seu species expressa, tum ad formandum objectum intra, quando ex se non est intellectum in actu, tum ad manifestandum, et loquendum illud sibi, vel alteri; et denique actus ipsi generant habitus, possuntque imperare, et dirigere alios. Quas omnes actiones, formationes, vel productiones D. Thomas fatetur, tum in locis citatis, ubi loquitur de formatione, et productione, seu processu verbi, præsertim cum in hac quæstione, art. I dicit quod sicut secundum actionem ad extra attenditur aliqua processio, ita secundum actionem immanentem attenditur aliqua processio ad intra; tum in 1-2, qu. LI, art. II, ubi loquitur de productione habituum ex actibus, licet aliqui putent actus non esse productiones habituum, sed principia producendi habitus, ut refert, et sentit Suarez loco citato metaphysicorum; tum quia ipso imperio, quod est actus intellectus, Angelos movere cœlos docet opusculo XI, art. III. Unde patet in doctrina S. Thomæ actus immanentes esse virtualiter, et eminenter actiones productivas, nec indigere verbum ad sui productionem alia actione, quam ipso actu immanente, qui est cognitio.

VIII. Et ex hoc ulterius colligitur, quod ille actus intellectus quo formatur verbum, et qui est cognitio, distinguiturque a D. Thoma a specie impressa, et a verbo, non debet esse similitudo formaliter repræsentans, et quasi pictura quædam objecti, sicut species expressa, quia videlicet similitudo vel est expressa, et nata a cognoscente, vel est impressa, et per modum principii, ut oriatur cognitio. Ratio similitudinis impressæ non convenit actui intelligendi, cum actus non concurrat cum potentia, ut principium co-

gnoscenti, sed a tali principio oriatur, et a tali specie. Ratio vero similitudinis expressæ illi non convenit, quia est formatio talis similitudinis, aut est contemplatio in similitudine jam formata, estque ipsa attingentia objecti per modum operationis, non ipsummet objectum attactum, seu id in quo objectum attactum repræsentatur cognitioni. Quid sic explicatur, quia similitudo expressa, et repræsentativa objecti, debet intra intellectum formari per aliquem actum, qui sit formatio ejus, et ille actus qui sit formatio talis similitudinis, non potest esse ipsamet forma repræsentans, si quidem formatio ejus est. Nec potest alius actus formare illam similitudinem, nisi actus ille, qui est intelligere, et cognoscere, quia illa similitudo exprimitur juxta notitiam, et cognitionem exprimentis, et sic quanto melius cognoscitur, perfectior est expressio, ideoque dicitur a D. Thoma quod procedit ex notitia intellectiva, et patres communiter sentiunt nos non nisi cogitando, et cognoscendo dicere verbum, ut Augustinus xv de Trinitate, c. VII; Fulgentius lib. III ad Monimum, c. VII, ut refert Suarez lib. I, de Trinitate, c. VI. Et tandem D. Thomas IV contra gentil. c. XI: « Intellectus, inquit, intelligendo format, et concipit intentionem seu rationem intellectam, quæ est verbum interius. » Et q. IV de verit. art. II ad V. « Dicere, non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc quod est ex se exprimere conceptionem: » nam ipsa species expressa repræsentat rem ut intellectam: ergo debet formari per actum qui sit intelligere, aut ipsum supponere, et sic ipsum intelligere non erit similitudo repræsentativa expressa, quia hæc exprimit objectum ut intellectum; et sic ipsum intelligere exprimit. Similiter id quod est repræsentativa

similitudo expressa repræsentat objectum alicui, et non alii quam potentia ut contemplanti, et cognoscenti. Non ergo ipsa contemplatio et cognitio formaliter est repræsentatio, si quidem repræsentatio ipsi cognitioni fit. Quare munus hujus qualitatis, quæ est actus distinctus a specie expressa, et impressa, quæ sunt repræsentationes, non est esse similitudinem repræsentativam, sed esse actum secundum intellectus, quo attingit, et contemplatur objectum repræsentatum in verbo, et etiam format ipsum verbum, sive cum primo ipsum exprimit ad constituendum objectum intra se, sive cum post intelligentiam objecti procedit ad manifestandum, et loquendum id quod jam intellexit.

IX. Ex his præsuppositis facile devenitur ad id quod in controversia est apud auctores, præsertim apud recentiores, in quo formaliter consistat intelligere seu intellectio, et in quo formaliter consistat dictio seu locutio.

Circa ipsam intellectionem, seu intelligere dividuntur auctores, quorum quidam putant non esse actionem de prædicamento actionis, qua producat verbum, seu qualitas repræsentativa, sed ipsam esse qualitatem, quæ seipsa oritur ab intellectu, quia constituunt actionem immanentem in qualitate, non in transitu, nec in motu, aut productione. Alii sentiunt qualitatem repræsentativam in intellectu produci per actionem, quæ sit de prædicamento actionis, et non qualitatis. Et hi dividuntur in constituenda intellectione, in quo formaliter consistat. Et est duplex eorum sententia.

Prima, quod intellectio est formaliter productio ipsa et actio, quæ talis qualitas repræsentativa fit ab intellectu. Quæ sententia attribuitur Cajetano, Bagnez, Molina, Zumel,

et aliis super hanc quæstionem XVII, articulo primo.

Secunda sententia est, quod intelligere, seu intellectio est ipsum informari intellectum qualitate illa repræsentativa, quæ per veram actionem producitur ab intellectu, sed tamen non in ipsa, quatenus producitur, sed quatenus ab ea intellectus informatur, consistit intelligere. Ita Vasquez hic disp. CXXI, c. IV; Ruiz de scientia Dei, disp. LXXXVII, sect. VI; Suarez lib. I de Trinitate, c. VI, n. V, et videri potest lib. III de anima, c. V. Et hoc ideo, quia putat Suarez verbum mentale non esse aliud, quam ipsum actum immanentem, qui est qualitas prout in facto esse. Et ista qualitas, seu actus immanens apud ipsum producitur vera, et propria actione de prædicamento actionis. Et quia actio immanens producit terminum in ipsa potentia operante, qui terminus in ea recipitur, illamque informat; ideo actio illa, ut productiva est, est dicere verbum, ipsa vero informatio, qua terminus ille sic productus recipitur, et informat intellectum, dicitur intelligere, quia sic illi repræsentat actu objectum, et manifestat: in manifestatione autem consistet intelligere, seu in præceptione objecti manifestati. Et ideo philosophus dicit quod intelligere est quoddam pati, et S. Thomas dicit quod in intelligere, ut distinguitur a dicere, non importatur ordo originis, sed informatio quædam, infra q. XXXIV, a. I ad III. Unde addunt aliqui, quod si conceptus, seu verbum produceretur ab alio intellectu, et uniretur meo, ego per illam informationem intelligerem, quia formaliter mihi manifestaret objectum. Quod tamen alii negant, quia ad intelligere requiritur vitalis influxus. Ex quibus ductus p. Alarcon, sequens sententiam Vasquez tract. V de Trinitate,

disp. VIII, c. III, n. VI, sentit ita consistere cognitionem in illa informatione qualitatis repræsentativæ, et non in actione productiva, quod actio productiva verbi solum sit cognitio effectiva, id est, effectio cognitionis, non autem formaliter sit cognitio, sed id quod producitur per talem actionem est cognitio, et est terminus ejus actionis, ut actio est, non ut cognitio. Quid autem sit formaliter illa actio, si cognitio formaliter non est, non ita explicant hi auctores; solumque dicent esse productionem cognitionis, non cognitionem, sicut actio calefactiva non est calor productus.

X. Circa ipsam vero locutionem censent hi auctores quod productio verbi ab intellectu non est formaliter locutio, et dictio quamquam Suarez citato loco de Trinitate distinguat dicere ab intelligere, quia dicere est producere verbum, intelligere vero informari ab eo. Vasquez autem citata disputatione CXL, quem sequitur Alarcon citatus et alii, censet locutionem, seu dictionem formaliter non esse productionem verbi, esse formalem illam informationem qua verbum significat rem dictam menti. Nec enim quærenti quid dicis, aut quid loqueris? Respondetur, dico qualitatem, vel dico vocem, sed dico talem vel talem historiam, aut rem de qua est sermo.

Nihilominus nos breviter dicimus intellectionem apud D. Thomam non esse solam informationem actus, vel qualitatis repræsentativæ, licet illa interveniat, aut requiratur ad nostram intellectionem, sed formaliter esse operationem ipsam, etiam prout vitalis egressio est ab intelligente, qua operatione percipit, vel apprehendit objectum, dictionem vero, seu locutionem esse ipsam operationem, ut formativam et expressivam verbi, seu rei intellectæ in verbo.

XI. Prima pars de ipso intelligere in doctrina S. Thomæ negari non potest, nusquam enim intellectionem, seu intelligere constituit in informatione verbi, seu qualitatis repræsentativæ, licet bene in informatione objecti, seu rei intellectæ mediante, operatione et apprehensione ipsius, perpetuoque distinguit intelligere a verbo. Et fuit magna hallucinatio in aliquibus auctoribus non distinguere apud D. Thomam informationem objecti, seu rei intellectæ quæ in ipso verbo repræsentatur ab informatione qualitatis illius repræsentativæ, ut jam supra præcedenti articulo advertimus. Loquendo autem de ipso intelligere formaliter, ut distinguitur a verbo, seu similitudine expressa, dicit D. Thomas IV contra gentiles, c. XI quod: « Significat ipsum intelligere apprehensionem ejus quod intelligitur per intellectum. » Non dicit informationem qualitatis repræsentativæ, sed apprehensionem ejus quod intelligitur significare. Et quæst. VIII de potentia, artic. I: « Intelligens, inquit, ad quatuor potest habere ordinem, scilicet ad rem quæ intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus, in actu ad suum intelligere, et ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio a tribus prædictis differt, etc. » Et ponens differentiam ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur ut terminus actionis, et quasi quoddam per ipsam constitutum; intellectus enim format rei definitionem, vel etiam propositionem. Hæc autem conceptio intellectus proprie verbum dicitur: hoc enim est quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem. » Et infra:

« Oritur quidem hujusmodi conceptio ab intellectu per suum actum; est vero similitudo rei intellectæ. » Et infra: « Hujusmodi verbum est intrinsecum ab esse ipsius intellectus: non enim est de essentia, sed est quasi passio ipsius; non tamen est extrinsecum ab ipso intelligere, cum ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto. » Sic D. Thomas explicat verbum, et intelligere, ubi nihil minus dicit D. Thomas quam quod intelligere sit ipsa informatio verbi seu qualitatis repræsentantis, sed quod per ipsum intelligere formatur verbum, seu intentio, et similitudo rei intellectæ, et illud ipsum quod vocat intelligere, vocat actum, seu actionem intellectus. Et similiter in opusculo XIII dicit: « Intelligere esse operationem intellectus, » et in hoc distinguit intelligere a verbo. Et addit, quod: « Verbum interius comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, quia in isto sic expresso, et formato videt naturam rei intellectæ. » Et idem habet opusculo XIV, dicens quod formato objecto per verbum intelligit, et quod ad ipsum terminatur intelligere. Sed intellectus videt, seu intelligit objectum in verbo inhærente sibi, et informante se: ergo intelligere non est inhærentia ipsa, seu informatio verbi, aut qualitatis repræsentantis, sed operatio apprehendens in verbo rem expressam et repræsentatam. Postremo, intellectus apud D. Thomam format verbum intelligendo, ut supra deduximus, et affirmat expresse IV contra gentiles, cap. XI: « Intellectus, inquit, intelligendo concipit, et format intentionem sive rationem intellectam, quæ est interius verbum. » Et I contra gentiles, cap. LIII: « Intellectus formando hujusmodi intentionem rem intelligit. » Ergo

intelligere non consistit in informatione illius similitudinis expressæ, sed magis in ipsa formatione ejus jam intelligit, videlicet per ipsam operationem, qua dicit habitudinem ad rem intellectam, apprehendendo illam.

XII. De secundo autem parte conclusionis, quod dicere est ipsa operatio, ut expressiva verbi, videri potest S. Thomas tum opusculo XIV, ubi inquit: « Ad ipsum verbum in quo quidditas rei recipitur, imo quia est quidditatis similitudo, terminatur intelligere: sic enim habet rationem objecti intellectus: ut vero est per intellectum expressum, ei conjungitur dicere; et sic idem ipsum verbum est effectus actus intellectus, qui est formativus objecti, et ipsius dicere. » Sed ex professo idem tractat S. Thomas illo ipso loco, quem pro se afferunt contrarii, hæc prima parte, q. XXXIV, art. I ad III, ubi inquit: « Dicere et intelligere differre, quia intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, (scilicet ad rem intellectam, quæ non originatur ab intellectu) sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. Sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: nihil enim est aliud dicere, quam proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti. » Ubi pondero quod quando D. Thomas loquitur de ipso intelligere, nullam mentionem facit de informatione conceptus, vel qualitatis repræsentantis, aut de habitudine ad ipsam, sed de habitudine, et informatione rei intellectæ, quæ utique non informat inhærendo, aut entitative se uniendo, sed per unionem apprehensivam, quatenus

intellectus apprehendendo rem, informatur illa; unde, et vulgo notitiam accipere, informari animum dicimus. Quando vero loquitur D. Thomas de ipso dicere, in eo in quo distinguitur ab intelligere, dicit quod dicere importat habitudinem ad verbum et mediante verbo, ad rem intellectam, quæ verbo manifestatur, ubi ipsam habitudinem dicendi per ordinem ad verbum, et ad qualitatem manifestativam explicat, sicut ipsum intelligere, non per habitudinem ad verbum, sed ad rem intellectam explicaverat. Et hanc habitudinem dictionis ad verbum non ponit in hoc quod intellectus informetur verbo, seu conceptu locuto, sed quod proferat illud. Quod autem non solum res dicta proferatur, et dicatur, sed etiam verbum ipsum quod quis loquitur, paulo ante dixerat D. Thomas eodem loco: « Dicitur, inquit, non solum verbum, sed etiam res quæ verbo intelligitur, vel significatur. » Et idem pluribus aliis locis docet. Et certe in hoc nulla potest esse dubitatio, quod verbum ipsum vere et proprie dicatur, et sit locutum, quia est prolatum et expressum, sicut loquimur verbum vocale proferendo, et exprimendo ipsum ore. Constat enim quod etiam quando non intelligimus significationem verborum, aut etiam cum quis profert verba non significativa, dicimus vere, et proprie quod talis loquitur et verba profert: nam tunc interroganti quid loquitur ille, dicimus nos ignorare quid loquatur, nescimus quid loquitur, supponimus ergo quod loquitur, et verbum profert, sed non intelligimus significationem verbi. Quare nullus dubitat quod verbum ipsum dicatur, et locutione proferatur, supposito quod percipit ipsum loqui, et inquirat de significato verbi locuti; imo quia per se notum supponitur nos dicere, et lo-

qui verba, non respondemus interroganti, et quærenti quid loqueris, nos loqui verba: hoc enim ita per se notum supponitur, quod nemo de hoc interrogare præsumitur, sed solum de eo quod significatur per verba sic prolata, et dicta: sed supponendo semper quod verba ipsa dicuntur, et locutione proferuntur: nam, ut dicit Augustinus tract. 1 in Joannem: « Assidue dicendo nomina verborum, quasi viluerunt verba; » et sicut ore dicimus verba quæ sunt voces, et soni quidam ore animalis formati, ita intellectu dicimus verba quæ sunt qualitates expressive. Et ad hoc quod verba sint locuta, et dicta tamquam de aliquo per se noto non inquirimus nec dubitamus, sed solum significationem et res verbo prolato significatas curamus scire, et intelligere, sicut in convivio vere opponuntur mensæ, et mappæ, et scutellæ, et vasa, sed non curatur de illis, sed de cibo aut potu in illis illato, quia ista sunt quæ comeduntur aut bibuntur. Et sic sententia Vasquez pro hac parte, quatenus negat verbum a nobis dici, sed res per verbum, nec dictionem aut locutionem consistere in prolatione verbi, sed in informatione aut manifestatione ejus rejicienda omnino est.

XIII. Quod vero de informatione verbi, seu qualitatis repræsentativæ dicunt Suarez et Vasquez quod in ipsa consistat intelligere formaliter, non in operatione, seu actu intellectus, ut distinguitur ab informatione verbi, et tendit in ipsam rem verbo repræsentatam, ex doctrina S. Thomæ relata rejicitur. Nam constat intellectum videre rem et cognoscere ut repræsentatam in verbo, seu conceptu, non quia ly repræsentata dicat aliquid ex parte objecti cogniti, sed ex parte medii, quo intellectui præsens fit, et ipse conceptus repræsentat, et manifestat rem, non

potentiæ nudæ, sed potentiæ cognoscenti, seu ipsi cognitioni potentiæ, sed non repræsentat cognitioni verbum, et qualitas illa, nisi ut informans, et inhærens ipsi potentiæ cui manifestat; si quidem accidens est, nec existere potest nisi inhærendo, nec manifestare nisi existendo. Ergo si ipsi cognitioni manifestat, cognitio formaliter aliud est a verbo ut inhærente et informante.

Et confirmatur, quia intelligere ut intelligere est actus vitalis, seu actualis vita intelligentis, sicut sentire est actualis vita sentientis, et quicumque alius motus vitalis est actualis vita viventis, sed formalis ratio vitalitatis non explicatur in ipso actu, et in ipso vivente per pati et informari, sed per agere, et a se emittere, quia vitalitas formaliter consistit in se movere: hoc autem quod est informare, et potentiam informari a qualitate est commune viventi, et non viventi: nam etiam non vivens informatur a qualitatibus suis: ergo si intelligere formaliter est vivere et vita actualis, non potest consistere in eo quod est pati et informari potentiam a qualitate, sed in eo quod est agere et operari, ut est active a potentia, non ut in genere causæ formalis actualis, licet etiam ista informatio requiratur, quia cum sit actus immanens, in ipsa potentia inhærerere debet; sed tamen non quatenus inhæret, et informat actus, sed quatenus egreditur, et denominat operantem, vitaliter constituit intellectionem; aut saltem si actus, et operatio, ut informans, et inhærens, est intelligere, non ex informatione qualitatis repræsentativæ, quæ est terminus, et verbum, sed ex conjunctione, et informatione ipsius operationis, et actus egredientis vitaliter a potentia denominatur intelligere.

XIV. Unde sequitur, quod etiamsi daretur quod ad repræsentandum

objectum potentiæ sufficit informatio qualitatis repræsentativæ, etiam si talis qualitas, et similitudo non procedat ab ipsa potentia vivente, tamen ut aliquis dicatur intelligens, et intellectio ipsa, seu intelligere conveniat subjecto, non sufficit informatio et inhærentia actus, vel conceptus, sed requiritur processio et egressio actus ab operante, quia intelligere formalissime est actus viventis ut vivens est, vitalitas autem non convenit actui pro ea parte præcise quæ inhæret in vivente, quia hoc passivum est, et passivum non est vitale, sed pro ea parte qua active est a vivente, quia de ratione viventis formalissime est ut moveat se, non ut patiat: ergo cum intelligere sit vivere, formalissime erit movere se, non pati, et informari per qualitatem, licet per ipsam operationem dicatur informari ab objecto quatenus apprehendit illud, et fit unum cum eo.

Quare dicimus cum D. Thoma præsertim in hoc loco citato, q. xxxiv infra, quod intelligere neque est actio intellectus, ut est productio verbi, neque est informatio qua informatur, et patitur ab ipsa qualitate verbi per inhærentiam ejus, sed est ipsamet operatio, ut apprehendens, et attingens objectum repræsentatum in verbo. Itaque operatio intellectus, et versatur circa verbum, producendo illud, seu formando, et exprimendo, et hoc est dicere, seu loqui verbum, quia dicit S. Thomas nihil aliud est dicere quam proferre verbum: et secundo versatur circa objectum quod repræsentatur in verbo, et circa hoc non versatur producendo, quia intellectus non immutat, neque tangit rem cognitam in vi intellectionis, sed versatur apprehendendo objectum, et trahendo ad se, seu faciendū illud unum sibi, ita ut intelligere sit esse ipsummet objectum appreh-

hensive. Et hoc est intelligere, scilicet ipsa operatio vitalis ut apprehendens: significat enim intelligere apprehendere objectum, ut ex D. Thoma diximus supra iv contra gent. cap. xi. Et quia prout apprehendens, et intelligens nihil producit, aut facit in re intellecta; ideo dicitur a D. Thoma quod respectu rei intellectæ non importat ordinem originis, hoc quod est intelligere. Dicitur autem importare ordinem seu habitudinem informationis, non informationis a qualitate repræsentativa (hoc nusquam dixit S. Thomas) sed informationis rei intellectæ, quæ non est informatio causæ formalis intrinsecæ, sed formalis objectivæ, quæ solum informat specificando, et tamquam terminus intellectus fit unum apprehensive cum ipso intelligere, seu unum objective, et hoc fieri unum vocatur informatio, scilicet informatio objectiva.

XV. Nec fundamenta Vasquez, et Suarez aliquid probant contra hanc. Nam præcipuum est, quia intelligere est quoddam pati secundum philosophum et non importat ordinem originis, sed informationis secundum D. Thomam. Sed hoc jam satis a nobis expositum est ex ipsis verbis Aristotelis et D. Thomæ quod intelligere, et sentire dicuntur pati, antecedenter, et præsuppositive, non formaliter, quia ad intelligendum, et sentiendum præsupponitur quod intellectus, et sensus recipiant species quod est pati ab objectis. Et intelligere importat informationem ab ipso objecto, quia ad hoc ordinatur intelligere, ut apprehendat objectum, et fiat unum cum ipso objective, et apprehensive, non informatione entitativa.

Deinde objici potest, quia si intellectio esset productio illius qualitatis, quæ est verbum, sicut dicitur producere qualitatem, diceretur

illam intelligere, non intelligimus autem nisi objectum, non qualitatem illam: ergo neque productio ejus est intellectio. Et præsertim, quia intellectio est repræsentatio, et manifestatio actualis alicujus rei, et tunc intelligit objectum quando sibi manifestatur, et repræsentatur, et tanto perfectius intelligit, quanto magis manifestatur, hæc autem repræsentatio multo melius fit in ipsa qualitate producta, quam in ejus productione, quia ibi solum est in fieri, et tendentia: ergo per informationem ipsius qualitatis fiet hæc manifestatio et intellectio.

Confirmatur, quia Aristoteles iii de anima, cap. vii docet, quod: «Intelligere est actus perfecti;» actio autem ut actio, et productio est via, et transitus de potentia ad actum, quæ est actus imperfectus: ergo in actione et productione non consistit intelligere. Neque consistit in operatione quæ sit qualitas, et productiva alterius qualitatis quæ sit verbum; sic enim essent duæ qualitates repræsentativæ per modum expressionis: nam actus ille, qui est qualitas, etiam similitudo est, cum dicat Augustinus xv de Trinitate, cap. xvi: «Cogitatio nostra perveniens ad id quod scimus, et inde formata, verbum nostrum verum est; et Anselmus in monologio, cap. iii dicit: «Imaginem nasci in cognitione, imo ipsam cogitationem sui esse imaginem.»

Respondetur quod intellectio, quæ est operatio intellectus, non secundum eandem formalitatem est intelligere, et producere verbum, sed sub diversa, ut ex D. Thoma supra diximus, licet utramque simul exerceat, quia intelligendo dicit, et dicendo intelligit. Itaque illa operatio intellectus, quam dicimus intellectionem, et intelligere, duo respicit, scilicet rem intellectam, seu repræsentatam sibi, et verbum, in quo

ibi fit repræsentatio. Secundum habitudinem ad rem intellectam non est productio, neque dicitur habitudinem originis, ut dicit S. Thomas infra, quæst. xxxiv sed solum dicitur apprehensionem objecti, et facit illud unum sibi apprehensive. Secunda habitudo est ad verbum immediate dicendo, et proferendo illud quod est procedere: et sic est dictio, et productio, et importat habitudinem originis, ut idem D. Thomas dicit. Et propter hoc verbum dicitur notionaliter, et processive, seu relative in divinis, non absolute. Quare ad argumentum dicitur quod intellectio formaliter non est productio verbi, quatenus intellectio: sic enim solum respicit objectum intellectum, sed quatenus dictio, unde non sequitur quod ut productio intelligat verbum, sed quod dicat illud. Et hoc verum est.

Ad secundum dicitur quod intellectio formaliter non est repræsentatio aut manifestatio, sed apprehensio rei repræsentatæ, et manifestatæ. Repræsentatio enim fit a repræsentante, scilicet ab ipsa similitudine, in qua manifestatur res repræsentata, cognitio fit ab ipso cognoscente, qui percipit illam repræsentationem; unde si repræsentatio fit ipsi cognitioni, cognitio non est repræsentatio formaliter. Et fatetur hanc repræsentationem melius fieri a re repræsentante, quam a productione ipsius, sed productio, ut productio, non est intellectio.

Ad confirmationem respondetur, quod intellectio non consistit in actione, ut est productio, et via ad verbum, sed in actu ipso secundo, ut est apprehensio, et attingentia objecto in verbo repræsentati, et formati. Et hæc non est actus imperfecti, sed perfecti, quia non est via, et tendentia ad producendum objectum, sed est tractio objecti ad se, et unio cum illo; et sic non est

fieri, sed est actualitas ultima intelligentis; et sic intelligere est actus, ut est ad objectum, non ut ad verbum producendum: sic enim est dictio; licet etiam ut intellectio attingat verbum, ut in quo continetur objectum.

XVI. Quod vero dicitur qualitatem non esse productionem, dico qualitatem, quæ est actus secundus, esse eminenter productionem, in vi actualitatis suæ, quia ad intelligendum in actu secundo ordinatur formatio, et prolatio verbi, quæ est productio. Nec sequitur quod sunt duæ qualitates repræsentativæ, quia intellectio formaliter non repræsentat, sed apprehendit, et percipit rem repræsentatam, ut supra diximus. Verbum autem est qualitas repræsentans, in qua intellectus contemplatur rem intellectam, et simul dum format, et dicit, illud intelligit in eo, sicut si videndo fieret color, simul videretur et produceretur. Illi autem patres cum dicunt cognitionem nostram esse similitudinem, posset uno verbo dici ex D. Thoma infra quæstione xxxiv, articulo i ad ii, quod cum dicitur quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. Itaque cognitio aliquando sumitur pro ipso termino, in quo fit cognitio, quia ibi terminatur, aliquando pro ipso actu ad illum terminato. Specialiter Augustinus in illo loco non dicit cogitationem esse verbum, sed potius: «Cogitatio est cognitio fluctuans, et nondum fixa, quæ quando pervenit ad id quod scimus, et inde formata est, verbum dicitur:» sed ly formata aliud dicitur ab ipsa cogitatione, scilicet id quod per illam formatum est, quod verbum est. Anselmus autem dicit similitudinem nasci in ipsa cognitione, quæ utique similitudo nata verbum est, cogni-